
COLAI

OPERA.

MUS V.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.



Henrici Nicolai

1. Theologiae Epitome.
2. Exercitatio de Methodo Trinitatis.
2. b. Rotgeri zum Bergen Epistolium ad Henricum Nicolai.
3. Exerc. de Medio Religioso et Theologico.
4. Ex. de Conciliatione Enunciatorum.
5. Miscella Theologica.
6. Ex. de non liquendo.
7. Irenicum defensum et explicatum.
8. Irenicum defensum et explicatum continuatum.
9. Exercitatio de Ahasvero Esthera.
10. Exerc. de Symbolo Athanasii.
11. Erklärung der Schrifft im Prediger Salomo IV. 4.
12. Tractatus de Pace, Editio emenda.
13. Protestatio super nova Editione Tractatus de Pace.
(14. Georgii Rheti Viduae Reprotestatio antecedenti Protestationi opposita)
15. Protestatio defensa.
16. Oratio de Philosophico Studio cum Theologia conjungendo, praemisso Programmate.
17. Cursus Philosophicus.
18. Exercitatio de Subjecto et Adjuncto.
19. Exerc. de quotidiana Telluris revolutione.
20. Ex. de Astrologiae Veritate, licitaque apud Christianos ratione.
21. Tr. de Modis praedicandi.
22. Tr. de Comparativarum Enunciationum expositione.
23. Rotgeri zum Bergen Res Sacra Amicus sive Epistolium ad Henricum Nicolai.
24. Godofr. Zameli Hymenaei Tumulus.

D. O. M. A.

DE

SYMBOLO ATHANASII,

Exercitatio Theologica, Historica, & Ecclesiastica.

Cujus authotis sit, an Athanasij ipsius, ut communiter censetur, an alterius & longè recentioris authoris, ut verisimiliùs sentitur, disquirens, & quæ obstare videntur, resolvens.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,
Phil. & Theologo, Professore emerito.

GEDANI.
Typis Viduæ GEORGII RHETII.
Anno 1655.

Nobilissimo & perquam Magnifico Domino,

Dn. JOANNI NICODEMO

Lillienſthröm, Status Suecici per Pomeraniam Præſidenti ampliſſimo. Hæredi in Eko, &c. Domino & Patrono ſuo obſervando, S. & Proſperitatem.

Cum ante annum Sedini ob Papiſtarum perſecutiones agerem, Præſes Magnifice, in diſcurſib. cũ doctis mentio Symboli Athanaſij injecta eſt. Repoſui, ex Eccleſiaſticis vix ejus eſſe conſtare, & à longè recentiore manu videri. In priſcâ, aut Athanaſio coæuâ antiquitate, nusquam illud memorari. Viſum reſponſum inſolentius, & quod vix æquè Evangelicis auribus allaberetur. Digna res æſtimata, quæ curatius luſtrata fundamentis ſuis ſtatueretur, & Lectori exhiberetur. Quantum tum ad manus, inquiſitum. Hic in partem reviſum, immutatum, & in lucem miſſum. Ideò, unde occaſio manavit, redire, & ſub Magnifici Nominis tui umbone extare, æquum duxi. Qui omne literarum genus promptè ſuſcipis, ab hoc averſus eſſe non poteris. Quod & uſum ſui in Theolog. præſtat, & in ſe accurationem Eccleſiaſtici argumenti ſuppeditat. Ampliore argumento nomen tuum venerari meditabor, cum occaſio commodior affulſerit. Ea per hæc tempora & rara adhuc, & ſatis dura eſt. DEUS immutare poteſt; & ut Te conſiliis factisq́ illuſtrem inter hos temporum turbines agere ac perſtare velit, ex animo exopto. Gedani. 14 Calend. Decembris. Anno 1655.

Nobiliſs. & Magn. nominis tui
dediriſſimus Cultor,

HENRICUS NICOLAI.

LECTORI CHRISTIANO & erudito
S. Et pacem Christi,

DE S. literis dici solet, *Erudite LECTOR*, in illis quædam esse, & non dici, alia dici, & non esse: Verumq; in illis deprehenditur. De vulgò receptis qvandoq; opinionibus simile quid dici non sine vero deprehendatur. *Quædam sunt*, & vulgo nõ creduntur aut dicuntur, ut Solem multoties terrâ & aquâ majorem esse: *Alia creduntur*, & non sunt, ut Solem in festo Paschatis subsilire, de quo *in Paschalib.* plura dicta. Horsùm non absurdè referas, quod *de Athanasii Symbolo* vulgò receptum, Ejus dici crediq;, Cum non esse hic rationibus ostensum videas, quales in historico argumento aut haberi possunt, aut adferri solent. Mathematica demonstrata frustrà hic exspectes. *In Topicis, moralibus, transcendentib.* Nemo probabilia aspernatur. Neq; *in Historicis* absurdum habendum, eadem fide assensum Lectoris mereri, aut elicere. Factum vides, & non unâ ratione expressum. Frequentata mentio Symboli hujus in Theologicis, aut ad illud provocatio. Eò solicitiùs lustrandum, verenè nomen prætexat, an alieno schemate, ut solet, indutum, in authoritatem induatur. Multa enim in Theologicis Historica vacillant. Et cum credantur, penitiùs discussa, fidem haud merentur. De quo *alibi* monitum. Omnes tamen ad veritatem collimare debent. Pauci vident & tenent. Id magis cautos, sobrios, & omni parte intentos faciat, ne aut universis fidem addicamus, aut quamvis noviter o-

stensis, temerè abrogemus. Multa nostris seculis patuerunt, Veterib. ignorata. Alia vetustis seculis perspecta: à Nobis non ita curata, aut obiter transcursa. Vertuntur seculorum vices, & cuivis peculiaria quandoq; indulgere, DEO constitutum. Temeritatem, pertinaciam, oscitantiam, veræ sapientiæ scopulos, vitare æqvum erit, ut ad verum paratior semita teratur. Lege, LECTOR, pensa, & judicium interpone. Liberum hic assentire, aut si meliora ad manum, dissensum contestari. In omnibus DEUM ejusq; verum ut Cynosuram anteponere decebit. Is te ducat, & hoc verum te turbulentis his temporib⁹ perpetuò ad rectum deducat. Ejus gratiæ commendatus Vale, & conat⁹ etiam in historico negotio, ut olim *de Ahasvero Esth:* precibus juvato. Gedani 14. Calend. Decembr. Anno 1655.

AUCTARIA.

1. *Athanasiæ* herbæ mentio est apud Medicos, quam inter valentiora stupefacientia, somnifera, aliavè referunt. *V. Manlium p.794. Coll Iunium Lex. p.102. Matthiolum L.3. Com. in Dioscor. C. 138.* Aliàs parthenium mas, tanacetum, reinfarn, Wurmkraut/vocant. An ea ab Athanasio, an ille ab herbâ nomen traxerit, an casu utriq; inditum, reperire non licuit?

2. *Photinistis* imputatur, quòd Athan. Sathanasium quidam eorum vocent. Mihi lectus non est, qui fecerit. Nomine tamen omnium *Smalcius* tales Sarcasmos, ut Christiano indignos, se execrari *ait in disp. c. Frantz.*

D. O. M. A.

De
Symbolo Athanasiano,
Exercitatio
Theologica & Historica.

I.

QVod communibus Sententiis evenire solet, ut fidem sæpè magis habeant, quàm mereantur, unde per publicam viam, h. est, publicos vulgi errores, non incedere Pythagoras olim præscripsit, Vt t.13. adducetur: Id & præsenti de Symbolo Athanasii materiæ obtingere potuit. Communi sensu Athanasio in Ecclesiâ adscribitur, & ejusdem esse homines aut credunt, aut credi volunt. Certe credũt magis, quàm sciũt, ejus esse, ut de Persepoli olim Curtius L. 5. C. 7. Romana Ecclesia, mater errorum ac præstigiarum, & hoc Symbolum Athanasii nomine invexit, & acceptari jussit. Utrùm tamen reverâ ejus sit, an longè recentioris cujusdam in Ecclesiâ, & ut ex Stylo loquendiq; modo â priscâ simplicitate fermè recedente verisimile fieri queat, Scholastici alicujus aut imperiosi Monachi sit, de quo t. 8. plura, dignum disquisitione atq; operâ visum fuit. Neq; n. in Ecclesiâ infrequens aut insolitum, sub Veterum nominib. nova scripta pro ampliore authoritate aucupandâ inducere. Sic n. varia supposititia Patrum nominib. in Ecclesiam projecta. Tertulliano Liber de animâ, Trinitate, resurrectione carnis, fictitiè adscriptus. Canones plurimi Apostolorum nomine circumlati. Constitutiones eorum Clementis nomine collecta, Liturgiæ Petri, Jacobi, Matthæi, Marci, nominibus protrusa. Liber passionis Andreæ nomine

cusus, libri de cœlesti hierarchiâ Dionysio Areopagitæ falsò tributi, de quo in Michaël. t. 54. dixi, multæ epistolæ Ignatio suppositæ, multa Justino Martyri, Irenæo, Theophilo Antiocheno, Origeni, Cypriano, Lactantio, Eusebio Emisseno, Athanasio etiam ipsi, V. t. 9. Epiphanio, Chrysostomo, Cyrillo, Hilario, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & universis Patribus afficta, ut in Criticis sacris doceri solet. Annon simile quid Athanasii Symbolo, ut vocant, contigerit, præsente diatribe BONO CUM DEO disquiretur.

2. Communis sententia, ut dictum, Athanasio Symbolum illud transcribit. Ex Papistis omnes, quod sciam, ejus esse pugnant. Bellarmin. L. 2. d. Chro. c. 25. L. 1. d. Justif. c. 9. L. 8. c. 8 Baronius ad an. 340. Possevinus in appar. Voce Athanas. Tannerus T. 1. Th. Sch. d. 4. q. 4 c. 5. Serarius disp. d. Symb. Ath. Costerus, Becanus, Valentianus aliiq;. Lutherani plerig admittunt. Calov. prol. in Aug. Conf. p. 14. 17 Dietericus in Catech. Vaeck proleg. d. Symb. Ap. c. 1. Et L. 2. c. 5. Hanmannus d. Symb. Ap. c. 1. Reformati similiter, Rivetus L. 3. Cirt. Sac. c. 4. Quid persuasum sibi ait, Athan. esse. Martinius l. 1. Th p. 1. tr. 3. c. 4. Quidam tamen hæsitant, ut Maresius T. 1. in Tirin. Cont. 3. n. 3. Leidenses c. Apol. Rem. p. 2. s. 2. Sociniſtæ ambigui sunt, & sive ejus sit, s. minus, authoritate ejus se stringi non patiuntur. Arminiani incerti sunt, in apol. ad Censur. præfat. p. 6. Et L. 1. Vedel. rapsod. c. 7. Et l. 2. c. 6. Et in spec. calumn. p. 2. n. 2. p. 85. De dogmate autem quicquid sit, quod alibi contra Socinistas asseritur, de authore hic potissimùm disceptatur. Pauci quidam negant, Athanasii esse, & argumentis quibusdam demonstrant, ut Vossius d. trib. Symb. s. 2. Et ex Lutheranis Hanmannus d. Symb. Ap. c. 9. t. 23.

Vossi-

Vossium non contemnendas rationes adducere ait, quæ fermè animum inducere possint, non ab Athanasio, sed vel Anastasio, vel Eusebio Vercellensi, vel alio quodam compositum esse. Idem *his injectis dubiis de ipso authore Symb. Athan. non constare ait* c. l. t. 45. *Et hæc non absurdè sentiri censemus.* Rationes *sequentes esse possunt.* 1. Quia in Operib. Athanasii *& manuscriptis vetustissimis non habetur. In uno legitur, sed authoris nomine suppresso, quod* Sculterus p. 2. Medull. c. 40. *fatetur. In fragmentis Historicis* Hilarii *habetur, sed ea valdè suspecta sunt,* t. 12. Felcmannus *in variis Athan. lectionibus Codicem Palatinæ bibliothecæ se vidisse refert, qui nomen Athanasii habuerit. Sed non addit, an ab antiquâ manu Codex fuerit, & una hirundo non faciet ver, unus Codex & fortè novitior, in vetustis Cod. fuisse non Cordatioribus persuadebit.*

3. 2. Quia ab ipso *etiam* Athanasio *in reliquis scriptis nuspiam allegatur, nec in historiâ, nec in epistolis de fugâ, nec Apologiis, aut similibus. Quod mirum sit, ne semel factum fuisse, & nunquam ad id ab eo provocatum fuisse, si verè tale Symbol. ipse condidisset.* 3 Quia nullus antiquissimorum *& Athan. coævorum, aut proximè succedentium Patrum illud ut* Athanasii *allegat, non omissuri, si ejus esse certò constituisset.* Nazianzenus *in celebri illâ Oratione post mortem Athan. in laudem ejus scriptâ, ne verbum de eo habet.* Hilarius *in fragmentis à Pithœo editis tacet. Quicquid in oppositum hic alij exsculpant.* V. t. 12. Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus in hist. Eccles. *nihil de eo habent. Et* prima post Nicenos tempora *prorsùs de eo silent, illudq́ ignoraverunt, quod impossibile sit, si verè Athanasij sit, & Græca Ecclesia non illud retinuerit ac asseruerit, quæ in magnâ veneratione perpetuò Athanas. habuit.* Dices: *Longo tempore delituit,*

post longa annorum curricula in Romanæ Ecclesiæ archivo inventum, & ob tanti viri memoriam editum, ac Ecclesiæ recitandum tradi meruit. Ita Baron. & Possevin. R. Mirum, *Ecclesiam Græcam nihil de eo scivisse, in quâ Athan. vixit, & quæ mirificè Patrem suspexit, ut Baron. & alii testantur.* Mirum etiam, *Ecclesiam Rom. tantis temporibus inter tineas tale Symbolum habuisse, & Pontifices Rom. ac Clerum adeò socordes in eo fuisse, nec Ecclesiæ publicè tantum thesaurum communicasse, cum Orientalis & Occid. Ecclesia tanto ardore Athanasii scripta amplexa fuerit, ut Cosmus Hierosolymitanus apud Sophronium in prat. Spir. C. 40. ex Athanasio aliquid inventum, si charta desit, in vestimentis propriis scribendum dixerit.* 4. Quia qui illius esse *dicunt, de tempore & loco, quo scripserit, prorsus non conveniunt, ut nihil certi ipsos hic habere apertum sit.*

4. Quidam *in exilio Occidentis scriptum ajunt. Sed ter in eo fuit Athanasius. Semel Treveris, eò relegatus, & bis Romæ, eò citatus, aut profugus. Nemo certus est, in quo præcisè scriptum fuerit. Unus ab altero dissentit, & alterum oppugnat.* Alii *sub* Julio *II. P. R. ponunt, ubi Romam citatus illud recitavit, Anno 339. vel 340. ut* Baronius ad *Annum 340. aliiq;. Sed Athanasius non accusatus de fide erat, ut symboli recitatione opus esset, sed quòd reditus illius magnum Alexandriæ mœrorem ac cædes conciliasset, & quòd à Synodo damnatus & non restitutus, sedem contra Canones recepisset, & quòd viduis Lybiæ ac Ægypti triticum ex Constantini M. liberalitate dari solitum eripuisset.* Nec credibile, *Julium Papam Symbolum ab eo exacturum, quem tàm egregiam operam in Nicænâ synodo contra Arianos navasse constaret, & qui tantus Nicænæ fidei patronus ac defensor esset, ut tanta pericula super eo pertulerit, & ab omnibus*

Catho-

Catholicis apex ac Coryphæus omnium fidem amantium censeretur, Quiq́ aliorum criminum, non hæresios, coram eo accusaretur. Et si omninò symbolo opus fuisset, Nicenum recitasset, non aliud, quod semel jam recepisset, ac infracto animo defendisset. Secùs variè Ariani eludere potuissent, quasi 318. Synodi Nicenæ Patres deprecaretur quotidiè Homousiani nova symbola conderent, ut alias objiciebant. Cum contrà magnus Homousianorum consensus fuerit, satius esse, nulla post Nicenũ Symbola scribi, quòd Nicena fides plena esset, & omnibus, quib. hæretici irrepere solebant, aditibus obseratis, inviolabili inter Patrem & filium unitatis soliditate connecteretur, ut Hilarius in fragm. hist. p. 51. loquitur. Et ipse Athanasius in Synodo Sardicensi decretum fatetur, ne ultrà de fide scriberetur, Nicenâ fide contenti essent, ne semper noua statuere volentibus occasio iterùm ac iterùm de fide definiendi esset, ep. ad Antiochen. Quam genuinum Athan. scriptum esse ex Epiphanio hæres. 77. Theodoreto dial. 1, 2. 3. aliisq; patet. Idem Athanas. Apollinaristis & novis cavillationibus hæreticorum exortis non quidem nova symbola condenda, sed condita uno alterovè loco explicanda censuit ap. Epiphani. c. l. Ac fatentur Lutherani, illis temporibus non expedivisse, post Nicenum nova Symbola componere. Præsertim cum Ariani & Neariani in synodis & antisynodis id solicitè laborarent, ut novis symbolis conscriptis Nicænæ confessionis dignitati derogaretur. Hanmann. d. Symb. Ap. C. 10. t. 2. Alii Theodosij Imp. tempore scriptum ajunt. Sed merâ ignorantiâ Historicâ sic sentitur. Athanasius n. Anno 372. jam fato functus sub Valente & Valentiniano est, juxta Ruffinum & Cyrill. ep. 1. Juxta Socratem a. anno uno prius, 371. At Gratianus anno 379. demùm Theodosium Imperij participem fecit, Et solus An. 91. demùm regnare cepit. Quia

5. 5. Quia *etiam Anno Chri. 1000. Ubi symbolum illud jam obtinere cepit, vacillanter Athan. tributum est, nihil certi solidiq́ pro eo allatum.* Abbo Floriacensis *sub anno 1000. in apolog. ad Reges Francorum quosdam secundùm Athanasium ut arbitratur, dicere ait, Sp. S. à Patre filioq́ procedere. Ut impudentissimè* Baronius *ad Anno 1001. jam ante 600. Annos symbolum verè ejus esse absq́ dubitatione creditum ac prædicatum aiat. Non n. ubi absq́ dubitatione credimus, ut arbitror, dicere solemus, nisi non benè compta mentis simus. Vacillationis ea forma Latinis & Græcis est, non firmitudinis absq́ dubitatione. Visum illi Athan. Symbolum illud fuit, aut saltem ex eo collectum, non absolutè de eo certus fuit.* 6. Quia *in isto Symbolo Sp. S. à Patre filioq́ procedere ponitur. At* Athanasii *tempore nihil de eo controversiæ fuit, ut id addere necessum fuerit, ut & in Niceno nihil de eo est, cum causa tale quid ponendi non esset. Postea demùm de eo moveri ceptum.* 7. Quia *si ipsius esset, nunquam tali Græci & vetusti Patris Symbolo* Latini contra Græcos *pugnare destitissent, cùm tàm manifestè processionē S. S. à Filio illud exprimat. Magnæ n. authoritatis ac roboris contra eos id fuisset, cum summæ authoritatis ap. Orientales Scriptor ille esset. At nullus eorum nec sub Pipino Caroli M. patre, anno 767. Nec sub Carolo M. an. 809. authoritate Athanasii ejusq́ Symboli se tuetur, nec quisquam Græcorum ejusmodi authoritatem contra se prolatam impugnat, aut contra eam excipit.* Primi, qui *hoc telum iecerunt, 4. Apocrisiarii Gregorii IX. Constantinopolin an 1239. missi, fuerunt, ut t. 6. patebit.*

6. 8. Quia primi, *qui hujus Symboli tanquam verè Athanasiani authoritate pugnârunt* Rodolphus & Aymo *Minoritæ,* & Hugo ac Petrus *prædicatorii ordinis Monachi, 4.*

Apo-

Apocrisiarii & Legati Ecclesiæ Græcæ ac Latinis dicti, à Gregorio IX. Pont. Rom. ad Græcos Latinis conciliandos Constantinopolin An. Christ. 1239. missi, fuerunt, quorum definitio in Romanis Bibliothecis est, & ab Bzouio T. 13. annal. Eccl. *ad an. citatum allegatur.* *Post illos* Manuel Caleca, *homo Græcus circa an 1274. sub Gregorio X. P. R. illud ut Athanas. allegat.* L. 2 c. Græc. C. 20. *Et circa an. 1280.* Guilielmus Mimatensis, *Postea ad an. 1320.* Belethus Parisiensis in expl. diu. offic. c. 40. *Et ad an. 1439. in Concil. Florentino & Armeniorum instructione Eugenius IV. Papa. & an. 1440. Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinopolitanus Lib.* pro Concilio Florentino scripto s. 1. C. 1. *Athan. illud tribuunt.* *Postea multi Athanasianum in variis Ecclesiis vocârunt, Constantinop. Servianâ, Bulgaricâ, Russicâ, Moscouiticâ, Romanâ, aliis. At hi omnes novi. & priscis Patribus Græcis & Latinis longè posteriones ac inferiores sunt, & contra Vetustiores Athanasii temporibus viciniores planè de eo silentes, authoritatem nullam habere possunt, à quibus potiùs hic veritas arcessitur.*

7. 9. Quia *nullus etiam eorum, qui posterioribus seculis Athanasii vitam descripserunt, Symboli istius meminit, ut Simeon Metaphrastes sub Michaële III. aut Constantino Ducâ an. 860. Vel Græcus Anonemus vitæ Athanas. Scriptor, quocunq; tempore vixerit.* *Imò post annum 1200. Cum hujus Symboli authoritate pugnari cœptum, non planè constitit, an ejus esset, an secùs, & potiùs* Anastasii *cujusdã esset. ac similitudine nominum per errorem Athanasio tributum esset?* Belethus *Athanasio tribuens ab aliis* Anastasio *adscribi dicit, & facilè illi adscribi potuit, cũ longè notius ac celebrius illius nomẽ tũc, quàm hujus esset, & in talium nominũ vicinitate crebrò peccari soleret. Quòd si Ana-*

si Anastasii Sinaitæ *sit, Patriarchæ Antiocheni, cujus liber de fide Lutetiæ in Bibliothecâ Regiâ extat, magni ac celebris scriptoris erit ad ann. 525. sub Justiniano aut Justino viventis, & qui multa fidei gratiâ perpessus fuit, ut apud* Nicephor. L.17. c.30. 36. Euagrium L. 4. &. 5. hist. Eccles. aliosq; *legi potest. Et nostris temporibus ann. 1597.* Meletius *Patriarcha Alexandrinus literis ad Ianum Dusam missis Athanasio falsò adscriptum Symbolum contestari se asserit, ut literas filius* Georgius Dusa *edidit.* Dices, 1. Quid *Græci indocti & famelici pro Athanasiano agnoscant, parum refert. R.* Multum *in re historicâ refert, Traditionem n. â Majoribus acceptam ipsi melius nôrunt & retinent, ac alii. Græci n. Scriptoris Symbolum erit, si Athan. sit, t. 8. Ruditas eorum hodierna in eruditione, notitiæ traditionis historicæ derogare non potest.* 2. Meletius *tamen hoc Symbolum pro Catholico agnovit. R. De eo jam non quæritur, sed authore, an Athanasii sit, t. 2.*

8. 10. Quia *si Athanasius hoc Symb. scripsit, Græcè potiùs, quam Latinè scripsit, in eâ n. Ecclesiâ episcopum egit, Cæteraq; ejus opera Græcè scripta sunt. At* Latinè *scriptum est, ut omnes agnoscunt, etiam 4. Apocrisiarii Romani, t. 6. Et Papistæ communiter. In Græcum a. variè à variis versum est, cum Latinus textus uniusmodi sit. Græca a. plurimùm varient, quod versionum indicium & consequens esse solet. Et* Athanasium *Latina scivisse, aut in exilio didicisse, nunquam satis probari potest, cum longè aliæ & majores curæ ibi eum attinerent, ut interpellationes assiduæ aliorum, continua opera se & Veritatem sermone ac scripto defensandi, alios de illâ informandi, huc atq; illuc peregrinandi, & similes. Nec ad sermones mutuos in Occidente cum aliis habendos adeò tum illi necessaria Latinitas fuit, cum Romæ, in Galliis, alibiq; copia eorum fuerit, qui*

Græca

Græca calluerunt. 11. Quia stilus Symboli *prorsus à stilo Athan. reliqvo in scriptis ei usitato divertit, longè enim modestior ac placidior est, & simplicitati illorum temporum convenientior, Cum hic in Symbolo impudenter & dictatoriè procedat, valdè ad Scholasticorum formulas accedat, multum à priscâ simplicitate & omnibus antiquis Symbolis recedat. Quic. vult salvus esse, ante omnia Catholicam fidem teneat, quam nî tenuerit, æternùm peribit. Quibus formulis nullum Symbolum sua proponere solet, ut* Apostolicum, Nicenum, Ephesin. & Chalcedonense *docent, In quibus velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, ut in* Institut. Juris Canonici L.1, t.3. C.2. *dicitur, Aut quæ totam principaliter fidem complectuntur, ut in* Jure Canon. p.1. d.15. C.1. *Per talem enim modum velut unâ liturâ omnes infantes baptisati damnandorum numero injiciuntur, Cũ nullus eorum tàm explicatam de 3. personis fidem habere possit, ut de multis idiotis & simplicib. Christianis adultis non dicatur, qui etiam eâ vix præditi. At eos omnes ad damnatos rejicere durior crudelitas à Christiano prorsùs aliena est, & tale, quod de* Athanasii *modestiâ nunquam cogitandum aut præsumendum sit. Potiùs Monachi cujusdam jam Scholasticorum linguam antecedentis videatur, qui sub* Athan. *nomine extulit, ut plus authoritatis eidem conciliaret. Talium enim formulis ac imperiositati apprimè quadrat, & Scholasticorum secula talia Symbola habuerunt ac postulârunt.*

9. 12. Quia *ipsi Athanasio infinita supposita sunt, quæ ejus nomine circumlata, non tamen eum authorem verè habuerunt. Ut in* Tomo I. *Disputatio contra Arium in Concil. Niceno habita, Cum contra Arianum illa instituta: Epistola ad Serapionem, testimonia Scripturæ de communione essentiæ inter*

Patrem, fil. & Sp. S. Homilia de passione & cruce Chr. de deiparâ Virgine, Oratio contra omnes hæreses. In Tom. II. Oratio de Melchisedeco, de passione imaginis Christi, definitiones Theologicæ, quæstiones ad Antiochum, de quib. de multipræs fin. t. 60 monui, Item quæst. de dictis & interpretationib. parabolarum, Disput. Laodiceæ contra Arium habita, Dialogi de Trinitate adhortatio ad Monachos Epist. ad Marcum papam, & Marci rescriptum, Dialogi 5. & sermones 20. contra diversas hæreses. Commentarius in omnes epistolas Pauli, Epistolæ ad Felicem & Liberium Papas, aliaq́ similia, de quibus alibi in scriptis Patrum & Criticis sacris uberiùs disceptatur. Quid mirum, si Symbolum aliquod illi impositum, ut majorem in Ecclesiâ authoritatem obtinere illud posset?

10. Hactenùs rationes, quæ non esse Symbolum istud Athan. nomine circumlatum re verâ ejus, ostendunt. Deinceps de Objectionibus videndum, quibus qui diversum sentiunt, ejus esse evincere allaborant. Veritatem enim totis viribus suis uti decet, ut Tertull. l. 3. co. Marcion. ait, H. e. & quæ ei obstare solent, refellere. Dices I. Nazianzenus Or. in Athanas. meminit Symboli, Cum solum vel cum admodum paucis veritatem confiteri ausum dicit. R. Ibi veritatem Nicenæ Synodi & Symboli intelligit quam constanter Athanasius & tenuerit, & defenderit, non novum aliquod Symbolum, quod ipse composuerit, ut totus contextus Nazian. docet. II. Nazianz. ultrà dicit, quòd Confessionem suam ad Iovianum Cæsarem miserit. Quod de Nicenâ fide intelligi nequit, ea enim jam cognita Ioviano fuit, & amplius aliquid Nicenâ fide ob exorientem novam de deitate Sp. S. controversiam sibi mitti voluit, de quâ nihil in eâ decisum erat. R. Nempè Athanasius epistolam aliquam

aliquam suo & illustriorum Ægypti, Thebaidos, & Lybiæ episcoporum nomine Ioviano misit, quâ & Nicenā fidem inseruit, & in quibusdam eam deduxit ac explicuit, & nonnulla ad jugulandam hæresin deitatem Sp. S. & trium in deitate unitatem negantem adjecit, eoq; nomine Nazianz. laudat Athanas. Quòd hæresin postea Macedonianam dictam primus jugulârit, annis nempe 50. ante Synodum Constantinop. quâ Macedonius damnatus est, & sic quod multis Patribus circa filium priùs concessum fuerat, idem postea in asserendâ Sp. S. divinitate superno afflatu consecutus sit, & tùm Imperatori donum verè regium & magnificum obtulerit, ut Nazianz. loquitur. Hoc per Confessionem ejus intelligit, non novum aliqvod Symbolum ab ipso compositum. Et hoc dicunt Theodoretus L. 4. C. 2. & Nicephorus L. 10. C. 42. hist. Eccl. Ubi epistolam Ioviano missam adducunt. Nec ad nuda Symb. Niceni verba Nazianz. respexit, quæ tantum & in Sp. S. dicunt, sed ad epistolam s. Confessionem Athanasii, in quâ præter Symb. Nicenum inter alia etiam de fide suâ verba extant, quæ de Sp. S. inde adducta sunt. Nec Confessionem edere semper novo Symbolo fieri necessum est, sed epistolâ, scripto, responso, apologiâ, exegesi, id fieri potest.

II. III. Augustino Symbolum illud innotuisse Baronius ad an. Chr. 340. ait, quòd aliqua inde in scriptis suis excerpserit. Ut L. 5. d. Trin. C. 8. Ep. 174. C. 36. enchir. Et C. ult. Soliloq. R. Hoc nullum peculiare Symbolum arguit, Cum multæ doctorum consonantiæ in vero etiam quà verba esse possint, siquidem ab uno spiritu ducuntur, & in veritatem diriguntur, etiamsi ex nullo speciali Symbolo ea excerpta sint. Sic Patres post Arium damnatum jam suas loquendi formas habuerunt, quibus uterentur, fidem proponerent, explicarent, aut defenderent. Et

si omninò ex Athanasio talia hausit Augustin. *Non continuò ex hoc Symbolo hausisse sequitur, sed ex aliis ejus scriptis, ut variis contra Arianos disputationib. quas ipse legere potuit, Vel aliis Ecclesiæ Doctoribus, qui Athanasium legerunt.* IV. Idem Augustin. in Psal. 120. *de hoc Sole Athanasium pulcrè locutum dicit, Filius DEI à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. At hæc verba in Symbolo Athan. sunt. Ita* Possevinus in app. Voc. Athan. Et Bellarm. L. 2. d. Chr. C. 25. R. Augustinus *Athanasii nomen prorsùs non habet, sed in genere dicit, alium esse solem, præter factum, non factum, sed genitum, per quem facta sint omnia, qvomodo ex Symbolo Niceno loqui potuit, quod talibq modis utitur, & Augustino notissimum fuit, non peculiari Symbolo* Athan. *ad id opus fuit. Is autem, qvi ex Augustino talia citavit, Athanasii nomen addidit, & is* Possevin. ac Bellarminum *decepit.*

12. V. Hilarius *Athanas. illud Symbolum tribuit, in* fragm. histor. *à Pithoeo editis,* p. 2. p. 47. 48. *R. Ista fragmenta valdè incerta sunt, an Hilarii sint, an alterius cujusdam? Et si omninò ejus sint, non certò* Hilarius *Athan. illud tribuit, sed tantùm dicit, in Codice quodam Deruenensi post Symbolum Nicænum & damnationem Arij in Concilio Ariminensi à Catholicis exaratam, sequi fidem dictam à S. Athanasio s. Symbolum, quod ejus nomen præferat. Non ipse præcisè Athan. id esse dicit; vel Symbolum istud tanquam Athan. ipsius addit, sed nomen tantùm ejus præferre ait.* Et Codex ille *nec antiqvus fuit, sed 100. tantùm annis manu Gallicâ, nec Latina satis percipiente confusè exaratus, ut* Faber. præf. libri f. 26. *docet, nec absolutam fidem mereri in re aliàs incertâ potest, & in historiâ tàm antiquâ nullius authoritatis est.* VI. Multi alii *Veterum, Græci &*

Latini Symboli istius ut Athanasiani meminerunt, ut Legati Romani in Concil. Florentino, Caleca, Guil. Mimatensis, Belethus, Gennadius, aliiq́, t.6.R. Isti omnes homines novi sunt, & in antiquâ historiâ nihil fidei merentur, c.l. Ad annum usq́ 1000. nullus in Ecclesiâ illud tanquam certò Athanasii allegavit, t.5. VII, Totus Christianismus consentienter illud Ath. tribuit. E. non temerè ei contradicendum. R. 1. Antecedens falsissimum est, & totis 600. annis prorsus ignotum fuit, ad ipsũ an. 1000. titubanter Athanasio attributum fuit, t.3.5.

13. 2. Etiamsi verum sit, non sequitur, ei contradici non posse. Totus Orbis in historicis mendacia pro factis, & fabulosa pro veris arripere ac tenere potest. Oscitante uno oscitat & alter, tertius, millenus, ad ultimum totus Orbis. Vara enim viam sequi solet, & in Historicis errante uno plerumq́ omnes, qui sequi amant, errare solent. Per publicam viam ne incedito, dixit Pythagoas, h. e. publicos Vulgi errores. Ut latius Iren. def. p.1, t.7. deduxi. Non semper verum, quod publica fama susurrat. Sic ante Iesuitarum ortũ totus Orbis Christ. Papam aliquẽ foeminam fuisse credidit, Nec Iesuitæ statim pro vero habent, sed ut fabulosum respuunt ac impugnant. Totus Orbis olim nihil terræ amplius ultra Europam, Asiam, & Africam esse credidit, nec ad Occidentem alias terras ultrà porrigi æstimavit. Non id statim verum fuit, & experientiis nauticis oppositum hodiè ostensum est. Zonas frigidas & torridas inhabitabiles esse omnibus Veterib. creditum. Non statim verum fuit. Sic Alexandrum Papam Friderici I. Imp. collum Venetiis calcasse omnes crediderunt. Iesuitæ tamen negant, & vix verisimile habent, Baronius in ann. Hardingus, Bellarminus, Lefinus, aliiq; 3. Totius Orbis consensui sc. certo, explorato, & solidis, constanti-

bus, ac notoriis fundamentis statuto, non facile contradicendum; benè tamen incerto, anili, & fabulis aut conjecturis nixo. Sic olim consensus fuit, lienem tantùm melancholicum humorem attrahere & bilem facere. Hodiè longè alius ejus usus deprehensus est. Olim nihil de venis lacteis scitum, hodiè praeeunte Casp. Asellio *Anatomico Ticinense, plerique doctores Medici recipiunt.* De stellis *circumIovialibus olim nihil creditum, hodierna* Galilei *aliorumque observatio veras esse ostendit. Sub Papatu tenebris quas non fabulas, commenta, superstitiones, in dogmatibus & historiis totus Orbis Christianus pro veris recepit, & consensu suo firmavit. Nemo cordatior propterea veritates ea esse censebit. Idem in multis aliis procedit. Multa recipiuntur ex ignorantiâ quòd meliora non suppetant. Quibus cognitis erronea recepta abdicari apud prudentes aequum est, & fieri ap. Christianos debet.* Conf. t. 14.

14. VIII. Potuit *Nicaena fides pleniùs & explicatiùs proponi, & Patres id requisiverunt, quomodo* Nazianzen. ep. 2. *ad Cledonium explicandum quiddam à Patribus Nicenis minùs plenè dictum ait, ac commodissimè Athanasij Symbolo factum videatur.* R. Potuit *pleniùs proponi, sed non novo Symbolo, id ne fieret, solicitè prisci Patres caverunt,* t. 4. *Verùm deductionibus ac ostensionibus ex Scripturâ & Antecessorum fide desumptis, quomodo* Athanasius *& alij Patres Nicenam fidem saepè latiùs deduxerunt.* Nazianzen. *autem quiddam explicandum dixit, sed de Sp. S. quod addit, quòd haec quaestio nondùm excitata ac agitata fuerit, unam eandem Patris, fil. & Sp. S. deitatem agnoscendam esse, quae in Constantinopolitanâ Synodo postea contra Macedonium decisa est.* IX. Hodiè *magno consensu Ecclesia Symbolum istud ut Athanasij suscipit, ac recitandum proponit, Cui non*

temerè

temerè contradici debet. R. Facit id, quòd vulgò sub Athan. nomine receptum sit, non quòd sine omni dubio ejus esse sufficienter constet. Sed nec consensum illum ex continuato seculorum post Athan. decursu demonstrare potest, t. 3. Eoquè particularis est, & in re historicâ, antiquitate non praeunte aut consentiente, exigui momenti est. Et Ecclesia è Papismo hoc habet, qui hoc Symbolum ut Athan. suscipit, t. 1. Antiquior Ecclesia illud ignoravit, & etiam posterioribus temporibus, ut anno 1000. titubanter Athan. adscripsit, t. 5. Papismus autē varios errores, tàm dogmaticos, quàm historicos, introduxit, ut constat, quos ob id vera Christi Ecclesia non suscipit. Sic Oecumenicum Pontificatum & immensum Papæ in Ecclesiâ primatum, qui in primâ antiquitate primorum seculorum prorsùs non fundatus est, eoq; suscipi non debet. In Historicis autem eundem primatum mendacissimè in multis confirmat, ut Donatione Constantini, præsidentia Papæ in Conciliis, etiam antiquissimis, & similibus, quæ falsissima esse tota antiquitas Ecclesiastica ostendit, & latiùs alibi deducitur. Conf. t. 13.

15. X. Cujus tandem erit istud Symbolum, si Athanasij non erit? Cur sub ejus nomine tot per secula circumlatum, si ejus non est? R. Etiamsi certò dici non possit, cujus præcisè sit, non statim Athanasij esse inde deducendum erit. Fortassè Anastasij Sinaitæ 200. annis Athanasio posterioris sit, t. 7. Aut Eusebii Vercellensis, ut alii volunt, ut Ambrosius ep. 82. ad Vercell. & Gregor. Turonensis d. glor. Conf. C. 3. Aut hominis cujusdam Galli, ut Pithoeus L. d. proces. Sp. S. Vossius in addit. ad p. 2. d. 3. Symb. n. 55. Qui Pipini vel Caroli M. temporibus conditum censent, aut alterius cujusdam, & fortassè Hispani, quando circa eadem tempora quæstio de processione Sp. S. in

Hispa-

Hispanijs agitata est, Ut videri posse Vossius c. l. ait, qui Athanasianum dixerit, non quòd ejus esset, sed quòd summam fidei ejus contineret, & ex libris ejus sedulò collectum fuerit. Cujus praecisè sit, dici non potest. Athanasii non esse certò ex rationibus supra adductis asseri potest. Tot per secula autem ejus nomine circumlatum videtur, quòd fidei ejus consentaneum esset, illo dignum videretur, & quod nomen illud primò acceptum porrò per secula retinuerit. Quomodo Chrysostomo, Augustino, aliisq; opera adscribuntur, quae ab antiquis temporibus nomina eorum obtinuerunt, & si reverâ ab illis profecta non fuerint. t.1.9.

16. XI. Antiquitati reverentia debetur. E. Cum valdè antiqua haec de Symb. Ath. sit sententia, non facilè in dubium vocanda. R. Debetur, sed in rebus liquidis, certis, & solidis, non in incertis & erroneis. Contra veritatem enim nulla antiquitas praescribere potest. V. Tertull. in Apolog. Hundert Jahr unrecht/war nie kein Tag recht/Ut alibi dictū. Deinde non est verè antiqua haec sententia, primis enim post Athan. Patribus & Historicis prorsùs ignota est, t.3. XII. Si non Athanas. hoc Symbolum, ultra 1200. annos Ecclesia Christiana in attribuendo ei illo erraverit, quod incredibile. R. Nunquam tota Ecclesia id illi adscripsit, 600. annis enim ignotum fuit, t. 12. Sed Occidentalis, & inprimis Romana, quam errare posse certum est, t. 13. 14. Et totam Ecclesiam in re historicâ etiam errare, quando non sufficienter inquirit, aut res obscurissima est, similiter non absurdum est. Sic tota Ecclesia Iudaica V. T. erravit in adventu & reditu Eliae Thisbitae ante extremum Iudicium, Sirac. 48. v. 10. Haec de Symb. Athan. breviter disceptata hac vice sufficiant.



